



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 6. Variæ fæminæ, quæ, præ insania, vel aliquos, vel se ipsas aquis  
peremerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

in Ale-  
xand,

Darij filia, M. Alexandri vxor, Roxanam, quam Alexander quoque thori participem esse voluerat, prægnantem itidem, in putoeum affixit; solo ducta liuore, quod Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Innumeris sunt virorum seminarumque casus & exitia, ab ipsis eorum parentibus, filijs, maritis, aut vxoribus procurata. Quibus in medium allatis, agite Momi, iudicio secundum juris formam conuenite; is, cuius ea de re notio est, estimabit, dicetque: Vos aquis vtimini, ad libidinem, ad æmulationem, ad crudelitatem vestram explendam; Deus, qui aquas condidit, aquas justitiae vindices esse non jubebit?

## §. VI.

*Variae famine, quæ, præ insania, vel alios, vel se ipsis aquis peremerunt.*

Enim uero jubebit, tantoque æquius jubebit, quia de cælo prospiciens videt, homines, ipsis aquis, aquas & flamas promereri. Quæ enim, malum, amentia est, homines, aquas in salutem datas, sibi in exitium conuertere? &, cum aliorum manus desunt, propriæ vitæ carnifices fieri, sequi ipsos, desperatissima corporis jactura, in vndis suffocare? Nam prorsus extrema

trema est dementia, non expectare mortē,  
sed occupare. Qua de caussa vel Poëtæ  
cecinerunt, eos priūs in furorem actos, qui  
se ipsos in mare præcipites egerunt. Hinc *Pausanias*  
Ilice Ibyci Lydij filia, in furorem, à Marte ~~as in At-~~  
contempto, versa è scopulo sese fingitur  
misisse. Hinc Athamas Thebarum rex, fu-  
rijs agitatus, dum Learchum filium morti  
dedit, vxor quoq; eius Ino Cadmi & Her-  
miones filia, dolore amens, cum altero fi-  
lio Melicerta, de Moluride petra, in Me-  
garensum finibus, sese in saltos fluctus  
sparsit. Sappho puella ex Lesbo insula, è  
Leucade Epiri promontorio se jecit, quod  
à Phaone mutuò non redamaretur. Anna *Ouid:L.4.*  
*Fastror.*  
Beli regis filia, post mortem sororis suæ Di-  
donis, Carthaginem ab Iarba occupatam  
relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem  
nauigauit. Quo demum relicto, mare in-  
gressa, ad Laurentum littus delata est; ibi-  
que ab Ænea cognita & hospitio suscepta,  
non sine mutui cum eo amoris suspicione,  
adeò ut in odium Lauiniæ veniret. Cuius  
insidias ut declinaret, se ipsam in Numycū  
fluuum præcipitem dedit. Iuturna quoq;  
Dauni filia, post imperfectum ab Aenea  
Turnum fratrem, mœroris impatiens, in  
aquas

240 Cap. IX. Aquis in pœnam uti Deum,

**Parthen.** aquas & mortem insilijt. Alcinoë, vxor Po-  
**in Erot.** lybi Corinthij, Xanthum Samium, relicto  
**cap. 27.** marito, secuta, pœnitentiāq; cerita, in ma-  
**Strabo.** ri, se viuam sepelijt. Quin & Derceto, Se-  
**li. 16.** miramidis mater, cùm filiam ex adulterio  
conceptam in desertis exposuisset, tan-  
dem facti & sceleris pœnitentiā mentis im-  
pos, in lacu furorem & vitam extinxit.

§. VII.

*Viri quoque luētu insanientes, qui se  
aquis suffocauerunt.*

Fæminarum facile delirantium, & ex-  
trema tentantium ista esse, aliquis dicet.  
Viri etiam à sensibus abeuntes fecere. Eue-  
nus Martis & Steropæ filius, ex Alcippe  
Oenomai filia, Marpissam suscepérat fili-  
am. Quam ab Aphareo, in chorea, raptam,  
quia comprehendere nequibat, in Lycor-  
nam Ætoliae fluum pronus ijt, vt citò, ac  
compediaria via, veniret ad Charontem.  
Refert idem, qui modò narratam necem,  
**Plutarch.** Plutarchus, Theseo in Cretam, ad Mino-  
**in The-** taurum interficiendum, nauiganti, Æge-  
**seo.** um patrem eius, Athenarum regem præ-  
cepisse, vt, si, confecto monstro, incolumis  
rediret, ad lætitiae argumentum, candida  
uteretur velis; vt prospectantibus è portu  
amicis,